



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

ii. Dividitur univocè & adæquatè in vegetativam & sensitiva[m] tantùm, in vegetativam sensitivam & rationalem simul.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

vel tantum vegetamur, vel quo vegetamur & sentimus, vel quo vegetamur & sentimus & intelligimus. Est utraque definitio physicè quidem essentialis; non minus enim de essentia animæ est, esse principium radicale operandi vitaliter, quam esse aptitudinem informandi corpus & exigentiã organizationis, quia tamen posterior fit in ordine ad operationes seu vim operativam, quæ veluti proprietas fluit ab essentia, non est conceptus primus metaphysicus. Breviter definitur anima, quòd sit *forma substantialis totalis compositi viventis*.

II. Dividitur anima univocè, & adæquatè in vegetativam tantum, in vegetativam & sensitivam tantum, in vegetativam sensitivã & rationalem simul; singulæ enim hæ animarum species sunt actus primus &c. & nullum est animæ individuum, quod non sub aliqua harum specièrũ contineatur; cum enim tres sint solum diversi modi universales operandi, quibus forma vivens elevatur supra nõ viventem, nempe operandi vitaliter absque cognitione, ut plantarum, cum cognitione imperfecta & materiali, ut brutorum, cum perfecta & spiritali, ut hominum, tot solum sunt

sunt principiorum intrinsecorū genera. Quare Arist. assignans quatuor animatorum genera, loquitur magis ex mente vulgi, subdividentis sensitivum in locomotivum imperfectè, qualia sunt conchylia moventia se solūm motu contractionis & dilatationis, adeoque potentia mutare solūm locum inadæquatū, & in progressivum; de cætero potentia locomotiva subservit animæ sensitivæ operanti cum cognitione. Est divisio generis partim in species subalternas (cū diversæ dentur & plantarum & brutorū species) partim in infimas. In eā membra dividenda se mutuò non includunt; anima enim sensitiva vegetativa tantūm, sive animam ut per propriam differentiam contractam ad plantam non includit; sive formaliter non est anima vegetativa excludens sensationes; sed est eminenter vegetativa, imò formaliter, si tò *vegetativa* accipiatur genericè. Unde tamen anima rationalis non erit corporea, corruptibilis, divisibilis &c. omne enim vegetativum *ut quod* sive completum, & omne vegetativum tantūm *ut quo* est materiale, corruptibile &c.

III. In eodem vivente non dantur simul plures animæ, cū operationes tam diversæ